







[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]

1.
2.
3.
4.



1741.

1. Bruncknerus, Wilhelm Hieronymus, O. d. Jus... Securus:
Programma: „De jure Romano Justiniano vel de
imperfecto, respectu motum hactenus causas
in judiciis, quem hodie processum juris vocant“;
occasione Dissertationis solennis ... ab .. Arnoldo
Henrico de Müller ... Respondentiae
2. Estor, Joannes Georgius: Vindictae secundum liberta-
tem ecclesiarum Germanicarum postulatae a prae-
fice Romano contra appellationes ad ejus legatos
supremumque tribunal Romanum, quod rotam
vocant.
3. Estor, Jo. Georgius: De jure primi fori sive
beneficis primae instantiae ordinibus imperii
perfecte pleneque imperterritis nec restricte pot-
estae praescribendo.
4. Heimburgius, Jo. Carp: De jure creditorum, facta cessione,
adversus tertium competente.

1741.

5. Heimbürgius, In. lisp., Fac. jur. Decanus: Program-
ma: De appellatione ad iudicem superiorem, de cuius
jure nondum constat, facta, auspicali Riverta-
lium... Brandisii Hageneri... praemissum

6. Hertelius, Th. Fredericus, Fac. jur. senior: Prolego-
men: De analogia juris vere Germanici, per
antiquas fabulas hant conturbanda, qua et
prolecciones suas aestivas... iuribus.

79.6 Schierschmidtus, Th. Just: De imputatione culpa
circa contractus emphyteusens, societatis et mandati.

8. 2^o suppl. Michael Gottlieb: Utrum valeat hereditas
1742. Fuchsling extra territorium suum oblatum? ... quo Groll Frider
iudicis amant. Trautmann ... Dipubanti graty latus

1. Buderus, Christ. Groll: De dominio maris quercii vulgo
lacus Bodanici.

2. Isler, Th. Georgius: Omnis Landenii depositum, quod sane.
Lione Imp. Carolus VII cap. 15 § 2 et Cap. XVII § 19 carit

1741 9. Walchius, Thom. Georgius: De Joto, vero apostolico

3. Heimbucher, Jo. Corp: Difficillima emancipationis
Romanae et Germanicae capita
4. Hertelius, Jo. Fredericus: Programm: De nunciis
juris et justitiae ... Frederici Jacobi Botta ...
Dissertationi auspicali ... praemissum.
5. Hertelius, Jo. Fredericus: Exercitatio inang. et leges
Volconiam et Faliskiam
6. Hertelius, Jo. Fredericus: Programm inang: De fabricis
fortunae ... Tract. Erdmanni Schmidii ...
Dissertationi auspicali ... praemissum.
7. Hertelius, Jo. Fredericus: Programm inang: De immenso
juris Pelago ... Joannis Christophori Wezelii ...
Dissertationi auspicali ... praemissum.
8. Schaumburg, Thom. Gottfried: De fine fidelitatis
vasalliticae suavis unico justificatorio autem
ex conventionis inter dominum et vasallum arbi-
traria diversis.

1742.

J. Schierschmidius, In-Inst. : De tubera occupatitia



ORDINIS IVRIDICI IENENSIS DECANI
WILHELM HIERONYMI
BRVCKNERI

PROGRAMMA;

1746/1
[1731]

DE
IVRE ROMANO JUSTINIA-
NEO VALDE IMPERFECTO, SI
SPECTES MODVM TRACTANDI
CAVSAS IN IVDICIIS, QVEM
HODIE PROCESSVM IVRIS
VOCANT,

OCCASIONE DISSERTATIONIS SOLEMNIS
DE

SVCCESIONE CREDI-
TORVM,

A
GENERIS ET ERVDITIONIS CLARISSIMO IVRIVM
CANDIDATO

ARNOLDO HENRICO DE MÖLLER
HAMBVRGENSI

CONSCRIPTAE, ET DIE XX. OCT. MD·CXXXI. IN CATHEDRA
PVBLICA DEFENDENDAE.

IENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.



Vanta sit dignitas & praestantia Juris Romani Justinianei, si decisiones & merita causarum spectes, inter alia ex his perspicue satis apparet, quod in tot gentium morationum Imperiis & regionibus, Justi-

niano Imperatori quondam non subjectis, e. g. Germania, Gallia, Hispania, Portugallia, Helvetia, Belgicis provinciis aliisque, ad dirimendas subditorum controversias, sponte fuerit receptum, nec hodie in toto terrarum orbe reperitur Resp. melioribus gaudens legibus humanis. HUGO GROTIUS quidem septentrionalium populorum Leges Juri Romano praeferre videtur, dum in prolegomenis ad Historiam Gothorum, Vandalorum & Longobardorum p. m. 63. & 64. sic scribit: *Ego in Romanis legibus subtilitatem, minima quaeque persequentem, varietatem, inconstantiam video, tantam denique molem, & in mole perplexitatem, ut nemo tam felix sit memoria, cui non saepe eveniat in legem incurfare. At philosophia legem vult esse simplicem, brevem, claram, qualia sunt Patrumfamilias in familiam suam imperia. Tum vero nihil mutata duratio multum secum habet autoritatis.* HAEC EGO IN SEPTENTRIONALIVM NOSTRORVM LEGIVS ME INVENIRE GAUDEO. Non facile quis a partium studio alienus, & utrumque Jus, Romanorum & populorum septentriona-

trionalium rectius conferens, in omnibus istis as-
sensum præbebit huic Grotii opinioni, & ego ac-
cidisse arbitror Viro cæteroquin summo, quod
plerumque deprehendimus in scriptis etiam cele-
berrimorum autorum, ut occupati in peculiaribus
argumentis elaborandis, ultra meritum hæc, de-
primendo alia, commendent, & sic a veritatis
tramite haud parum aberrent. Non tamen in il-
la hæreo sententia, Jus Romanum, si causarum
merita consideres, ex omni parte esse perfectum;
suis enim illud laborare nævis & defectibus ab-
unde monstrarunt *Hotomannus, Thomafius* aliique
ICTi excellentissimi; ipse Justinianus etiam suo id
confirmavit exemplo, dum proprias leges nonnun-
quam correxit, & forte mihi, si Deus vitam & vi-
res porro largietur, dabitur occasio, istam asser-
tionem pluribus exequendi. Quam bene autem
pro conditione rerum humanarum se habet Jus Ro-
manum, expendendo causarum merita, quæ vulgo
materialia nominant, tam male quoad ordinem tra-
ctandi causas in judiciis, (formalia seu processualia
communiter dicimus) videmus id esse comparatum.
Id patet ex omnibus Processus Juris partibus; sum-
mus modo libellum, qui fundamentum continere
debet totius processus; quam pauca & admodum ste-
rilia de illo inveniuntur in toto Juris Justiniani cor-
pore? In reliquis partibus similis reperitur defectus.
Si evolvimus Digesta, Codicem & Novellas lacera-
dispersæ & confusæ jacent doctrinæ, ad Processum
Juris pertinentes. In Digestis lib. 2. 3. 4. 5. 11. 12.

29. 44. 44. & 49. Sparsum quædam de illis traduntur, in reliquis libris paucissima de civili processu occurrunt. Eodem modo se habent libri Codicis, & Novellarum. Specimen imperfecti Juris Justiniani quoad Processum exhibent Institutiones, in quibus elementa totius Juris Romani Justiniani sistere voluit Tribonianus cum Collegis suis, sed tam misere & jejune in processualibus libro quarto versatus est, ut, si excipias ea, quæ potius concernunt causarum merita, sicuti hæc conspiciamus in doctrina de delictis, actionibus & interdictis, levissimo brachio attigerit Processum Juris civilis. De criminali, quo modus & ordo traditur in judicio agendi contra delinquentes, parum vel nihil invenitur in Institutionibus, inque reliquo toto Juris Justiniani corpore, sive spectes accusatorium sive inquisitorium processum. Quamobrem parum abest, quin Romanorum ordo judiciarius abierit in tumultuarium h. e. nullum processum, cum ordo in processu observandus & confusio, quam vox tumultuarius innuit, inter se maxime differant, & ordinarium cum tumultuario simul consistere nequeat. Ast cur prudentissimi & sagacissimi Romani in Materialibus seu meritis causarum definiendis tam solliciti & accurati, in Formulis, ordinem tractandi causas respicientibus, tam negligentes fuerunt? Causas salvo meliore aliorum judicio has esse putaverim, quod in foris litigantes desideria sua plerumque viva voce proposuerint, raro admodum scriptis usi. Ubi autem causæ non in scriptis agitantur, sed viva solum voce expediuntur, confe-

confestim absque longis ambagibus & sumtibus fini-
niri solent; ut veteres supervacaneum esse duxerint,
multas leges quoad modum tractandi causas in ju-
dicii præscribere, potius consultum esse rati, rem fer-
me totam judicium arbitrio permittere. Accura-
tus quoque & plenus processus multis constat parti-
bus, quæ singulæ, ut per legislatores rite disponantur
& determinantur, magnam requirunt in foris expe-
rientiam, & profundam meditationem. Cum au-
tem Leges XII. Tabb. solum in meritis causarum de-
finitis fuerint occupatæ, & subsequenti Plebiscita,
SCta & Prætorum Edicta parum de Processu tradi-
derint, Impp. etiam querelis litigantium super Pro-
cessu ortis, & per appellationes ad se devolutis malu-
erint brevi manu per Rescripta medelam adferre,
quam Leges ferre circa prolixam, intricatam & spi-
nosam Processus materiam, ad quam exhauriendam
nec unus nec simul plures tunc reperiebantur Jcti sa-
tis apti, destituti quippe præcursoribus, qui vel ten-
tassent solum una serie & per systema exhibere ordi-
nem tractandi causas in judiciis, hinc jacuit doctri-
na Processualis apud Romanos admodum manca &
imperfecta, ita ut ne una e tot partibus pro dignitate
fuerit excolta, Jus Canonicum supplevit quidem lib.
1. & 2. *Decretalium* aliquot defectus, sed rem ad per-
fectionem non deduxit, quod vel ex eo perspicuum
redditur, dum in Foris, ubi solummodo Jus Civile
& Canonicum vigeant, aliquando Processus durave-
runt per triginta & plures annos, antequam litis conte-
statio, quæ ex parte Rei plerumq; initium facit Proce-
sus,

fus, sequeretur, sicuti exempla quondam in Camera Imperiali extitisse ex *Hermanno Vultejo* refert *Carpz. p. 1. c. 1. d. 1. n. 4.* Quoniam enim in utroque illo Jure tempus non erat præfixum exceptionibus, quas Practici appellant litis ingressum impediētes, opponendis, rei, qui protrahere lites sæpe student, una primum prolata, diu ventilata & tandem per judicatum remota, deinde alteram, & postquam hæc etiam adducta multum temporis consumit, & finem accepit, tertiam, quartam & sic porro alias diversis temporibus urserunt, quibus artibus lites motæ a reis mortalibus fere immortales factæ, & dicta de Processibus Cameralibus, olim Spiræ agitatæ, abierint in proverbium: Spiræ lites spirant, non expirant; litigantes sperant, nunquam aspirant *Carpz. d. l. Vent. de Valent. in partben. litig. lib. 1. cap. 1. n. 22.* Duo scopuli legislatoribus, in bono juris processu ordinando, potissimum vitari debent, & quidem primus, ne Advocatis occasio præbeatur, causas, præsertim levioris momenti, in longum tempus proferendi, & in magnos sumtus clientes præcipitandi, alter, ne dum breviores termini finiendis litibus ponuntur, auferantur media partibus, necessaria causarum suarum momenta adducendi. Malum illud, quando Processus in scriptis solum agitantur, id quod in multis Germaniæ locis eheu obtinet, deplorari satis nequit ob diuturnitatem litium, & plurima incommoda hinc resultantia, cui derogando egregium quid in Saxonia quoad processus ordinarios seu solemnes est inventum, ut Advocati durante termino clientum suorum
desi.

delideria, ab Actuariis calamo excipienda viva voce proferre teneantur (dass die Advocati Zeit wählenden Termins ihr rechtliches Einbringen denen Geschreibern in die Feder dictiren müssen) quo invento septem Termini diebus saepe plus proficitur, quam extra illud septem annis. Ad exemplum Saxoniorum quidam Germania Imperantes idem in suis judiciis introduxerunt, sed cur non in aliis quoque simile quid fieri solet? Resp. Germani idolum magna colunt superstitione (vocat illud das Herkommen, facere quidam dicunt: der Herr Comenius regieret bey denen Teutschsch) &, licet ostendatur ipsis manifesta utilitas. mordicus tamen inhaerent consuetudini suae: sic, ubi causae in scriptis tractantur iudices saepe non curant, ut acta filis compingantur, & singula folia numerentur (dass man die Acta zusammen heften und foliiren lasse) quod institutum insignem adfert utilitatem. Quotidiana in Foris est materia de Concurſu creditorum, quae tamen neque in Jure civili neque canonico accurate & plene proponitur, & vel ex hoc etiam defectu satis colligitur, quam imperfectum & mancum sit Jus illud utrumque in Processualibus. Magnam vero cum concursu creditorum affinitatem habet argumentum de SUCCESSIONE CREDITORUM, quod pro Dissertatione solemni elaborandam, & in publico cœtu defendendum summi Generis & eruditionis laude clarissimus Candidatus

ARNOLDVS HENRICVS DE MÖLLER

Natus in celeberrimo Emporio, & maxima Germaniae civitate Hamburgensi anno hujus seculi quarto. Parentes etiam nunc post fata colit summa pietate, & quidem Genitorem ARNOLDVM HENRICVM DE MÖLLER, Sacrae Caesareae Majestatis Consiliarium Aulicum, & J. U. D. Matrem ANNAM GERTRVDAM DE KAMPEN. Post obitum optimi Patris, quem amisit octavum aetatis annum nondum egressus, religiosissima Matrona Genitrix omnem in se suscepit educationis curam, tradito Filio, ad Studia humaniora propenso, in disciplinam & informationem privatorum praceptorum. Postea Lycei patrii Doctoribus praestantissimis KRYSICKE Conrectori & HVBNERO Re-

ctori

tori studia sua addixit, quorum virorum dexteritatem & fidem in docendo grata prædicat mente. Per triennium adhuc in Illustri, quod Hamburgi floret, Gymnasio substitit, prælectionibus celeberrimorum Doctorum IOH. ALB. FABRITII, SEB. EZARDI & MICH. RICHEY usus. Tandem Noster anno M DCC XXIV mensè Aprili in hanc Musarum Sedem se contulit, sectatus potissimum in Philosophicis summe Reverendum SYRBIVM, & illustrem Consiliarium Aulicum TEICHMEYERVM. Historiam non modo Universalem, sed & inprimis illam, quæ ad Statum Germaniæ nostræ publicum facit, hausit a Professoribus publicis BYDERO & SCHMEIZELIO. Jurisprudentiam, quæ cum pietatis studio primarius ejus scopus fuit, per omnes partes summa diligentia excoluit, doctrinis accuratissimorum Virorum B. SCHROETERI, DIETMARI, FLÖRCKII & BYDERI valde delectatus. Vix biennium in hac Salana vixerat, cum tristissimus de Matris obitu nuntius ipsum in patriam revocaret, ubi per sex menses ob gravissima negotia morari coactus fuit. Dein jucunda Musarum nostrarum memoria ipsum retraxit Jenam, ut Studium Juris feliciter coeptum cum laude abfolveret. Igitur ad Doctoris dignitatem, parentis vestigia secutus aspirans ab ordine nostro decenter petiit, ut consuetis Examinibus exploraremus ejus in Jure profectus. Honesto desiderio gratificati dignum invenimus, cui non tantum cathedram publicam, ad edendum eruditionis specimen, aperiremus, sed & post illud summos in Jure Honores conferremus. Ut actum publicæ Dissertationis Magnificus Academiæ Prorektor, Illustrissimi Comites, Venerandi Academiæ Senatores, omnium ordinum Hospites honoratissimi, & quod nobis maxime iucundum erit, florentissima Studioforum corona præsentia sua condecorare dignentur, ea, qua par est, observantia & humanitate rogo. P. P. Jenæ d. xix. Octob.

M DCC XXXI.



X2368854


VD18

ULB Halle
007 465 084

3







ORDINIS IVRIDICI IENENSIS DECANI
WILHELM HIERONYMI
BRVCKNERI
PROGRAMMA; [1731]

DE
JVRE ROMANO JVSTINIA-
NEO VALDE IMPERFECTO, SI
SPECTES MODVM TRACTANDI
CAVSAS IN IVDICIIS, QVEM
HODIE PROCESSVM IVRIS
VOCANT,

OCCASIONE DISSERTATIONIS SOLEMNIS
DE

**SVCCESIONE CREDI-
TORVM,**

A
GENERIS ET ERVDITIONIS CLARISSIMO IVRIVM
CANDIDATO

ARNOLDO HENRICO DE MÖLLER
HAMBVRGENSI

CONSCRIPTAE, ET DIE XX. OCT. MDCCXXXI. IN CATHEDRA
PVBLICA DEFENDENDAE.

IENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.